NATALEM

LUDOVICI GUILIELMI AUGUSTI

MAGNI BADENSIUM DUCIS

RECTORIS NOSTRI MAGNIFICENTISSIMI

AD DIEM IX. FEBRUARII

RITE PIEQUE CELEBRANDUM CIVIBUS NOSTRIS INDICIMUS

ACADEMIAE ALBERTO-LUDOVICIANAE

PRORECTOR ET CONSISTORIUM.

INEST OPERIS KLUEPFELIANI DE VITA ET SCRIPTIS CONRADI CELTIS PROTUCII
PARTICULA IX. SIVE LIBRI II. DE SCRIPTIS CELTIS CAP. V. — XI.
CURANTE CAROLO ZELL, PROF. P. O.

FRIBURGI BRISGOVIAE
TYPIS WANGLERIANIS
MDCCCXXVI.

Redeuntibus augustissimi Principis nostri et Rectoris magnificentissimi sacris natalitiis, redit et festi exoptatissimi solennitas, gaudia redeunt, gratiarum actiones, vota denuo nuncupanda. Celebrate igitur, Commilitones, hunc diem laeti, alacri mente, redintegrantes in animis vestris obsequii et amoris sensum, quem in bene constituta republica principi deberi intelligitis, atque una nobiscum hoc a Deo immortali omni supplicationum fervore precamini, primum ut sacratissimum principem augustamque domum, incolumem, salvum, sospitem, quam diutissime per humanae naturae conditionem fieri potest, nobis conservet; deinde ut consilia ejus et facta divini numinis auxilio regere et ad communis patriae salutem et felicitatem conferre dignetur; postremum, quaecunque princeps ad rem publicam confirmandam, augendam, ornandam instituerit, ut ea cives libenti animo et religiosa, quae legibus debetur, obedientia suscipiant et exsequantur. Ita enim comparatum est, Commilitones, ut populorum felicitas non minus justo principum imperio, quam constanti et fido civium obsequio contineatur. Etiam illud per hujus augustissimi festi opportunitatem

vos monitos volumus, quod ut frequenter vos monere solemus, ita nunquam menti vestrae imisque praecordiis omni cum cura insinuare intermittemus. Cum principis enim memoriam non facile usurpare possitis, quin et patriae memineritis, atque cum Rectoris nostri magnificentissimi memores esse nequeatis, quin vobis studiorum, quibus ejusdem auspiciis in hac academia vacatis, recordatio obversetur: hoc agite, juvenes lectissimi, in hoc omnes nervos intendite, ut nec huic academiae, nec aliquando patriae deesse videamini. Neque minus hoc vobis persuasum sit, Commilitones, id unum nunc vobis, praeter honestatis studium, et praecipuum esse contendendum, ut optimis artibus et disciplinis plane imbuamini, quod si rite feceritis, periculum non est, ne quando cum huic nostrae patriae, tum universo generi humano utilitatem et decus afferre nequeatis. Id ipsum et Rector noster magnificentissimus vos satagere procul dubio jubet, cui nulla alia re magis obsequium et pietatem vestram probare potestis; atque ita tandem vobis continget, siquando ex umbra scholae in solem et pulverem prodieritis, illud, quod Tacitus, gravissimus auctor, iis qui reguntur ut optimum factu significat, „inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter, ambitione et periculis vacuum.“ *)

*) Annal. Lib. IV, cap. 20.

CAPUT VI.

CONRADI CELTIS OECONOMIA.

S. L. ET A. 4. FOL. 4. CHAR. GOTH.

Hoc opusculum paucis cognitum hactenus, a nemine, quod sciam, inter monumenta *Celtis* litteraria recensitum. Quid oeconomicus iste libellus ferat, edocet *epigramma* ad lectorem, primo folio verso positum:

Si quem nosse juvat, quo constet honesta supellex,
Qua poterint docti vivere rite viri:
Ille legat parvum hunc nostrum jam saepe libellum;
Et statuet vitae dulcia fata suae.

Verbis aliis idem opusculi argumentum indicitur initio secundi folii: *Conradi Celtis oeconomia, id est, de his, quae requiruntur ad honestam supellectilem philosophi patris familias.*

CONTENTA:

Exhibentur hoc in libello *epigrammata* XXVIII. Primum inscribitur: *Ad dedicatam omnipotentis Dei imaginem decastichon,* heroicum. Incipit: *Omnipotens opifex immensi conditor orbis etc.* Legitur idem carmen in *Deliciis poetarum* P. II. inscriptionem praeferens: *Deo Opt. Max.* Quod succedit epigramma alterum *Ad Divam Dei genitricem* refertur, *decastichon cento,* versibus itidem heroicis illigatum, cujus est hoc exordium: *Virgo sub aethereis semper veneranda puellis etc.* Quemadmodum supra adnotavimus, occurrunt versiculi itidem in *arte versificandi.* Quae tertio et quarto loco comparent: *Ad uxorem philosophiam*: *Ad Vestam, ut focum perennet,* iteratis procusa typis, sunt

inserta *Deliciis poetarum Germanorum.* Elegiaci sunt generis, quemadmodum cetera, quae sequuntur. *Uxorem philosophiam* poeta ita alloquitur:

Ex cerebro prognata Jovis castissima conjunx,
Me dignum thalamo fac generosa tuo etc.

Vestam autem hac ratione compellat:

Vesta meos ignes placato respice vultu:
Et fac aeternis stet mea flamma focis. etc.

Cetera, quae succedunt, has similesne ferunt epigraphas: *Ad cellam vinariam: Ad nummum: Ad panarium Cereris: Ad Neptunum: Ad Pana: Ad Dianam: Ad Silvanum: Ad Lachnum canem: Ad equum: Bibliothecam: Balneum. etc. etc.* Postremum: *Ad mortem:*

Omnia mors perimis: rapis omnia parta labore.
Post mortem probitas, scriptaque sola manent.

Ex epigrammate, quod sexto loco affertur, conjicimus, id opusculum referri ad illud tempus oportere, quo tradebat *Ingolstadii* artem poeticam et oratoriam, publico stipendio conductus a Principe:

Ad nummum.

Numme, potens rerum, qui cuncta sub orbe ministras,
Fac, meus aeterno luceat igne focus.
Non ego sollicitus de te sum: dum quater anno
Princeps pollicitam solverit aere fidem.

Quodsi *Viennae* demum concinnasset hos versiculos: in postremo pentametro pro vocabulo *Princeps*, posuisset id, quod est illustrius, nimirum: *Caesar.* Huc accedit, quod pentametrum ultimum amissum sit in libris *Celticorum* epigrammatum; in quibus primum duntaxat *ad nummum* distichon apparet. Tandem non est vero simile, *Celtem*, qui propemodum annos septem exegit *Ingolstadii*, toto illo tempore amusum fuisse, aut asymbolon, ut nullam conferret opellam, publicandam typis.

Ad apparatum oeconomicum, qui philosophum deceat, retulit *Celtis* etiam *Lachnum* canem, quem ita affatur:

> *Lachne*, cui Rhenus patria est; ubi *Pingia* dives
> Obnobios montes, Herciniamque videt.
> Sis vigil, et prodas latratibus ingredientes:
> Nec taceas fures, dum mea tecta petunt.

Canis sui nomen *Celtis* mutuatus est ex *Ovidii* Metamorph. Lib. III. Fab. II.; ubi inter *Actaeonis* canes memoratur *hirsuta corpore Lachne.* Non solum versibus caniculam suam celebravit *Celtis;* verum etiam effigie repraesentandam curavit; ut alibi diximus.

Praeter *Celtem* erant viri docti alii, qui canibus plus aeque oblectarentur. Ut enim mittam *Cornelium Agrippam*; palam est, summis in deliciis canes habuisse *Justum Lipsium.* Tres enim, quos habuit canes, *Saphyrum*, *Mopsulum*, et *Mopsum* fovit, ut liberos. In tabulis depingi fecit, adjectis inscriptionibus, quas inservit Centuriae primae epistolarum ad Belgas; ut ne eorum memoria apud posteros interiret. Neque erubuit *Joan. Henr. Maius* scribere ad *Uffenbachium*, se plus, quam *Lipsium Achille*, cane suo delectari. *Conifer. Commerc. epist. Uffenbach.* Tom. III. Haec adducere lubuit; etsi videantur parva, negligendave. Res etenim momenti saepe exigui, aut etiam vitia magnorum hominum nosse, multis lectoribus haud est injucundum.

Neque est praetermittendum, tredecim ex his epigrammatis, quae *Oeconomia Celtica* continet, ab eo inserta esse libro tertio suorum *Epigrammatum,* quae proferemus in *Appendice.*

Oeconomiae huic adjuncta est Ode *Celtis* ad *Musam suam;* cujus initium est: *Jam clara vatem Musa superstitem etc.* Hoc idem carmen recusum est, legiturque in collectione Odarum *Celtis* Lib. III. Od. IV. in paucis immutatum, emendatumve. In codice msc. *Norimbergensi* erat hoc carmen, dum primum exarabatur, tribus strophis brevius. Caruerat enim stropha *tertia,*

nona et *duodecima. Celtis* manu sua supplevit, marginique addidit *tertiam* et *nonam. Duodecimam* autem, quae incipit: *Euxina visam percitus aequora etc.* alia manus allevit. Unde conjectura est, esse *Norimbergensem* codicem prius exaratum, quam fuerit edita haec *Celtis Oeconomia.*

CAPUT VII.

CONRADI CELTIS PROTUCII,

GERMANI, IMPERATORIIS MANIBUS POETAE LAUREATI,

DE ORIGINE, SITU, MORIBUS, ET INSTITUTIS NORIMBERGAE LIBELLUS.

Celticum hoc opusculum variam fortunam subiit. Ansam scribendi praebuit civitas *Norica;* ubi saepe libenterque *Celtis* morabatur. Quem *Ingolstadii* absolverat libellum, in itinere perdidit, cum in eo erat ut senatui offerret. Jacturam suis ex adversariis, ut potuit, compensavit, misitque *Norimbergam* opusculum ex residuis fragmentis renatum. Haec quidem edocemur potissimum ex epistolis *Celtis* ad *Sebaldum Clamosum*, quas dabimus in *Appendice.*

Placuit Senatui munus litterarium, jussitque verti in sermonem vernaculum, ut posset plurimorum esse usui, quod in laudem cedit reipublicae *Norimbergensis.* Utrumque exemplar, tam Latinum, quam Germanicum, servavit diu bibliotheca *Norimbergensis* publica. Testatur sane *Christophorus Arnoldus*, diaconus *ad S. Mariam*, et professor *Norimbergae* in epistola ad senatorem *Norimbergensem* anno 1673, se in dicta bibliotheca exemplar utrumque vidisse, junctum in eodem volumine, his ad calcem Latini textus adscriptis verbis: *Finis libelli de situ, instituto, et moribus Norimbergae, feliciter*

Joanne Dalburgio, Wormatiensi episcopo, et Joanne Coclite, alias Löffelholz, Ducali Senatore, et magnifico cive, Censoribus; a Senatu autem Norimbergensi in bibliothecam recepti, Senioribus et Questoribus, Gabriele Nutzel, et Paulo Volkmayer, anno ab incarnatione Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto. Translatio autem Theodisea anni ejusdem numeros hunc in modum refert: *Nach der Geburt Christi M.CCCC.L.XXXX.V. im Monat des Merzen.* Translationis germanicae auctorem esse *Georgium Alt*, aerarii publici logographum, ex ejusdem, aliorumque epistolis (in eod. msc. epp.) tum ex dissidio, quod *Celtem* inter et *Altum* excitatum est, occasione Theodiscae hujus versionis, perspicuo intelligitur.

Repetiit *Celtis* anno 1497 a *Norico* senatu suum de *Norimberga* libellum, causatus, esse nonnulla, quae cuperet addere, aut emendare in melius. *Celtis* epistolam ad *Norimbergenses* hac de re exaratam germanice haud ita pridem publicavit Cl. *Murrius* p. 214. P. I. memor. bibl. *Norimb.*; nosque in *Appendice* recusam exhibebimus. Annuit Senatus, remisitque *Celti* eodem anno libellum, quem petiit; datis ad eum litteris *die Martis post Margarethae;* unaque optavit, *bella Norica* addere ut vellet.

Neque quaerat hic quispiam: Sic ad *Celtem* an. 1497 remissus fuit libellus, quem miserat anno 1495: quomodo videre eum in *Norimbergensi* bibliotheca potuit *Arnoldus* anno 1673; velut ex *G. E. Waldau*, IV Th., *vermischte Beiträge* retulimus? Quicunque enim non ignoraverit, quod ex epistolis msc. compertum habemus, anno 1495. exemplaria duo ejusdem libelli missa fuisse a *Celte Norimbergam*, alterum ad Senatum; alterum ad *Joannem Coclitam*, senatorem, nullo labore intelliget, in *Arnoldi* testimonio mendum non cubare, neque contradictionem. Nunc aetatis non reperiri amplius in *Norimbergensis* reipublicae bibliotheca controversum opusculum, testantur, et conqueruntur, qui illam bibliothecam lustrarunt.

Monitus per litteras a *Sebaldo Clamoso Celtis*, ut opusculum, secundis curis correctius, remitteret *Norimbergam* prius, quam *Ingolstadio Viennam* abiret, haud paruit. Dumque rursus instaret *Clamosus* apud *Celtem*, *Viennae*

cum degeret: respondit, se pariturum, a Senatu *Norico* si fuerit sollicitatus. Utrum sollicitatus a Senatu fuerit; an sponte sua libellum remiserit; haud constat. Illud palam est, affirmasse *Celtem*, esse, qui 40 aut 50 aureos dare vellent; si opusculum hoc ipsis nuncuparetur; constituisse autem secum, illud non dicare aliis, nisi *Norimbergensibus*, in quorum civitate frequens, jucundeque esset moratus, ibidemque decoratus ab Imperatore corona laurea; praeter quam quod, suo quasi jure *Norimberga* deposceret, illam sibi lucubrationem inscribi, quae in ejus laude versaretur.

Interea cum comperisset *Celtis*, suggerente *Geor. Alto*, quem offenderat, quod *Vespillonis* nomine eum notaverit in quodam epigrammate; decretum esse a Senatu, ut nonnisi octo aurei sibi numerarentur: odam effudit, amarulentam et plenam irarum. Conqueritur de exilitate honorarii. Odae si fides est: *missos* a Senatu octo aures recusavit. Ita namque legitur (vulgata in collectione odarum habet aliter) in codice msc. *Norimbergensi*:

Octonos mihi Noricus Senatus
Parvi ponderis aureos dicavit:
Quos *missos* merito sed ipse sprevi.

Epistolis pluribus ea de re ultro, citroque missitatis a *Celte*, *Clamoso*, *Vesenio*, aliisque familiaribus et amicis: reliquit tandem, quidquid id erat negotii, et demandavit curae *Andreae Stiborii*, et arbitrio *Sebaldi Clamosi*, innuens, accipiendum esse, quod Senatus obtulerit. Obtulit autem aureos viginti. Quo dono haudquaquam mitigatus poetae irritati animus: quanquam mutaverit priores versiculos hunc in modum; ut sunt in collectione vulgata Odarum:

Bis denos mihi Noricus senatus
Parvi ponderis aureos dicavit:
Quos missos meritis meis recepi.

At cetera fere omnia, ut prius a stomachante effusa erant, absque ulla sui mutatione relicta sunt; velut constat conferenti; satisque declarant ea, quae allatis mox versiculis subdidit:

Fas est, prodere, quae gerantur orbe,
Germano haud puduit mihi poetae,
Non tantum pretii dedisse velle,
Quo lychnus mihi fulserit lucernae;
Nec quo sit mihi calceus repensus.

Ex his conjectura esto de reliquis, quae in dentato hoc poemate occurrunt; quod incipit: *Quid tantum steriles poeta Musas etc.* Legiturque in *Argentinensi* editione Odarum *Celticarum* Lib. III. Od. XI.

Unde sit nata omnis haec tragoedia, de qua hactenus; supra indicavimus: ipseque *Celtis* patefecit, dum eristico illi carmini hunc praefixit titulum: *Ad seipsum, et Senatum Noricum: dum octo sibi aureos, pro historia scripta decrevisset, suggestione scribae, quem Vespillonis epigrammate notaverat.* Theodisce, ut nuper meminimus, transtulit *Geor. Altus*, *Celtis* libellum de *Norimberga*; cumque in textu Latino mentio fieret Cap. XV. decreti cujusdam senatorii, quo erat cautum, ut per *Vespillonem* prehenderentur, et mactarentur canes, noctu in plateis errantes: Latini sermonis ignarus, ineptisque interpres, vocabulum *Vespillonis* germanice reddidit: *Fledermaus*; quod quidem risum movit apud intelligentes quosque; *Celti* autem ansam praebuit, ludendi in traductionis indoctae auctorem hoc epigrammate:

Jam medicos, et juridicos, doctosque poetas,
Spes vilis nummi, vanaque fama facit.
Hoc probat interpres, magna mercede vocatus,
Historiam Latiam, Teutonicam ut faceret.
Is cum *Vespillo* legeret: nomenque lateret:
Cum luteis pennis esse putavit avem.
Inde tuum corpus *Vespertilionibus* estum,
Delatumque tuo, *Domitiane*, rogo.
Nunc scio, quid nummus possit, venerabilis orbe.
Ex asinis doctos dum facit ille viros.

Hinc illae irae! Occurrit hoc carmen, felle amaro, et pipere fartum inter epigrammata *Celtis*, hucusque inedita, Lib. III. Epigr. XLV. in eod. msc. Norimb. Ceterum agnovit, et confessus est interpres suam in sermone Latino imperitiam; quippe qui ad *Celtem* scripserit, se opus habere illius opera in multis vocabulis. Similia his proposuit *Joanni Cocliti*, qui per litteras significavit *Celti*, libellum de *Norimberga* traditum esse interpreti imperito, qui suam ignorantiam prodiderit aliis etiam in operibus Theodisce versis; velut Chron. *Hartmanni Schedelii Norimb.* 1493. Addidit *Cocles*, interpretem sociam a se operam, subsidiumque petiisse; sed non comparuisse hactenus: quippe qui satis sibi, suisque viribus confideret. Ex hac, opinor, concertatione ansam arripuit *Conradus Peutingerus* conscribendi opus philologicum de vocibus: *Vespertillio, et Vespillo*; quod dedicavit *Wolfgango Anemoecio*, litteras politiores *Augustae Vindelicorum* profitenti; quem initio hujusce libri ita compellat: „Cum die hesterna coena te domestica, et „tenui excepissem: colloquebamur invicem de ingeniis, et eruditione sin„gulari praestantium quorundam virorum, qui aetate superiori floruerunt, „ac hactenus florent etc.“

Quaecunque adduximus hactenus, ad operis indicati pertinent historiam. Opus ipsum quid ferat, pro nostri instituti ratione, paucis declaratum imus. Qui *Joannis Christophori Wagenseilii* praefationem legerit, quam praemisit Commentationi suae *de civitate Noribergensi*, opinari posset, *Wagenseilium* primum fuisse, qui civitatis illius historiam sibi conscribendam sumeret; dum inquit: *Dolebat hoc animo, tantam Urbem, tam diu quasi indictam mansisse, nec aliam prope ejus notitiam suppetere, quam quae ex vulgatis itinerariis hauriri potest, exilem eam, et nimium quantum positam infra illius dignitatem*; quasi *Celtis* et post *Celtem*, *Eobanus Hessus* historiam *de Norimberga*, ducentis fere ante *Wagenseilium* annis, memoriae posterorum, litterisque non tradidissent.

Distincta est haec, a *Celte* adornata, notitia historica de *Norica* civitate in capita sexdecim. Reddimus eorum elenchum, aliqua postmodum ex iis fragmenta decerpturi. Itaque

Caput I. occasionem scribendi, et magnificam praefationem ad Senatum continet.

Cap. II. De origine agit, situ arenoso et sterili civitatis; quod tamen naturae vitium, incolarum industria, emendatur, tolliturve.

Cap. III. De *Herciniae* sylvae magnitudine, et de ejus in Europa definitione.

Cap. IV. De imagine et descriptione *Norimbergae*, insulisque ejus, et thermis, et prato *Allerio.*

Cap. V. De arce imperiali, fontibus, et aedificiis urbis, hortis, et foris, et officinis metallariis.

Cap. VI. De verticalibus urbis syderibus, et qualitate aeris, valetudine, et habitu populi.

Cap. VII. De ingeniis virorum, et mulierum. Illos commendat armorum studium, industria, et mercanturae peritia, sobrietas, et doles aliae. Has potissimum ornat pudicitia, conjuncta cum rei familiaris cura,

Cap. VIII. De duobus augustioribus templis, et hospitali; et eorum divitiis, et reliquiis.

Cap. IX. De novem urbis monasteriis, et eorum probatis, ac sanctis moribus.

Cap. X. De domibus publicis frumentariis, et de fame; et generibus panum insolitis.

Cap. XI. De domibus cerevisiariis, et armamentariis, et expositiorum,

Cap. XII. De pietatibus, et eleemosynis urbis, et leprosis.

Cap. XIII. De magistratibus urbis; et patriciis, id est iis, qui antiqua generis claritudine sunt insignes.

Cap. XIV. De poenis sontium, et damnatorum. Nullum fere genus supplicii est, utut atrox, quod hic non occurrat, statutum in malefactores.

Cap. XV. De universali urbis justitia: legibus conviviorum, nuptiarum: de judaeis et vini corruptoribus.

Cap. XVI. De annona, et victualibus urbis.

Quae capite *tertio* de *Herciniae* sylvae amplitudine adducuntur, nescio, an aliquis ante *Celtem* observaverit; extensam videlicet eam esse per universam Europam, eo fere modo, quo *Taurus* per *Asiam*, *Atlas* per *Africam* sese diffundit: initium duci ab *Ardenna* sylva in *Galliis*: dein per *Germaniam* et *Sarmatiam*, usque ad extremum *Europae* angulum propagari: sortiri nomina diversa; ubi *Friburgam Brisgoiae*, *Badenam*, *Heidelbergam*, *Francofordiam* attigerit. A *Friburgo* in ortum, et septentrionem perpetuo tractu occursantes inter se colles, atque juga montium excipere.

In *Hercinia* sylva consedisse quondam *Druides*, sive religionis interpretandae, sive studiorum, aut solitudinis gratia, eodem capite *tertio* refertur. Tale, inquit *Celtis* nudius vidimus; dum *Joannes Tolophus*, vir summa eruditione, et ingenio nos in patriam suam ad radices piniferi montis secum adduceret. Hic dum forte in coenobium (*Quale?*) divertissemus: imagines lapideas sex, vetustissimo saxo, ad fores templi, parieti insertas conspeximus. Septem pedum singulae: nudis pedibus: capita intecta, Graecanico pallio, et cucullato: perulaque et barba inguina usque promissa, et circa naris fistulas bifurcata: in manibus liber, et baculus *Diogenicus*: severa fronte, et tristi supercilio: obstipo capite; figentes lumina terris.

Quod capite *septimo* adnotabatur de *Friderico Tertio* Imperatore, praeterire non possum. „Caesar *Fridericus*, sunt verba *Celtis*, ut novissime *Norimbergae* egerat, ut de multitudine puerorum urbis sibi relatum erat, omnes pueros infra decimatum, in fossam urbis, cui arx imminet, vocari jubet. Jam tota urbs in publicum gaudium, et communem laetitiam effusa; et genetrices exultant in spem erectae .... puerorum facies lustrare, ornare frontes, ... soboles auro, gemmis, purpura onerare, et nihil eorum omittere, quae hanc aetatem gratiorem efficere possent. Caesar ubi collectam multitutinem, et Germani sanguinis florem, oculosque hoc tenerrimo examine humani generis satiasset: pueris placentulas, tortulasque mellitas (ut aetas illarum rerum avida est) distribuit: constituens ad futurum eorum conventum nummum argenteum, signatoria sua gemma notatum in singulos

donare, quem in perpetuam rei memoriam asservarent. Pueri tunc ingenui super quatuor millia numerati fuere.“

Ubi capite *decimo* disseritur de *Norici* senatus cura in recondendo frumento, ut tempora ingruentis pennuriae suppetat; refert *Celtis*, frumenta annorum centum, et quinquaginta haberi in frumentario publico. Quod cum audiret *Maximilianus*, dum erat *Norimbergae*, tenderatque e *Gallico* bello in *Pannoniam*, ut sibi ex eo frumento pinseretur panis, petiit. Addit *Celtis*, etiam se apud amicum, et hospitem suum *Sebaldum Clamosum*, istiusmodi panem degustasse.

Quemadmodum magnificum est exordium hujus libelli; ita prius, et cum voto, ac precibus conjunctus finis.

Postquam capite *ultimo* depraedicaverat felicem sortem civitatis, atque reipublicae *Norimbergensis*, coelesti favore immissam, tunc in modum finit: Quam Urbem vestram, precor, faustam, felicem, stabilemque Dii immortales, urbium ac locorum antistites, et genii indigetes, et hospitales, diu in felicitate sua, si quid ex voti nostri nuncupatione illi accidere potest, conservent, et tueantur: *dum rotat astra polus; feriunt dum littora venti.*

Historici hujus libelli exhibuit *Celtis* ipse synopsin quampiam in eristico illo carmine, ut ostenderet, quantum in illo conficiendo desudaverit. Ita vero canit:

Nam longa bene lucubratione
Descripsi *Herciniae* vagos recessus,
Urbem cum populo, suosque mores,
Artes, moenia, porticus, et aedes
Privatas, Superisque dedicatas,
Et quis publicus usus interesset;
Fontes, et fora, plateas et hortos,
Et quae stella suam videret urbem
Ad perpendiculum jacens nitorem:
Hic amnem celeres rotas citantem,
Quantaque arte in varia metalla cudat.

Esse hunc de *Norimberga* libellum specimen quodpiam *Germaniae illustratae*, quam crebro pollicitus est *Celtis*, in fine primi capitis ipsemet asseverat hisce verbis: „Libentius hujus rei (describendae scilicet *Norimbergae*;) assumpsi provinciam; tanquam praeludium quoddam, et ingenii experimentum, ante editionem *illustratae Germaniae*, quae in manibus est, benevolis lectoribus praemittendum." Atque hoc *Celtis* exemplo testatur *Eobanus Hessus* se esse animatum ad conscribendam civitatis *Noricae* historiam, ut, quod *Celtis doctissimus quondam vir*, *ac elegantissimus poeta* prosaico sermone extulit, metrico ipse complecteretur; velut fere loquitur in epistola nuncupatoria ad Consules et Senatum inclytae civitatis *Norimbergae*, praefixa carmini heroico de *Norimberga*.

Superest, ut editiones hujus libelli divulgatas typis indicemus.

Prima quidem editio comparuit *Norimbergae*, adjuncta libris Amorum anno 1502. 4. maj.

Secunda est *Hagenaviensis*: studio *Francisci Irenici*, attexta *Exegesi Germaniae* an. 1518. Fol., impensas conferente *Antonio Koburger*; munita *Leonis X.* Bulla, nequis recudere ausit, intentato anathemate.

Tertia Francofordiensis, adornata a *Goldasto*, atque illata operibus historicis *Bilibaldi Pirckheimeri* an. 1610. Fol.

Quarta Hanaviensis, recusae *Exegesi Germaniae Franc. Irenici* denuo adjuncta, an. 1728. Fol.

Commentitiae autem editiones sunt: 1) *Parmensis* an. 1494., cujus mentionem facit *P. Asso* in Hist. typographiae *Parmensis*, deceptus, ut videtur, a *Sauberto* Norimbergensi. 2) *Basileensis* an. 1567, quam adducit *Hummelius* p. 101. IX. St. Neu. Biblioth. selt. Bücher.

CAPUT VIII.

VITA S. SEBALDI,

CIVITATIS NORICAE PATRONI.

Quis sanctus *Sebaldus* fuerit, quam duxerit vitam, quae miracula ediderit, a *Celte* exponitur ode hac biographica, cujus initium est:

Regiae stirpis soboles *Sebalde*,
Norico multum veneratus urbe,
Da tuam nobis memorare sanctam
Carmine vitam.

Paucioribus eadem complexus est prosaico sermone, quo descripsit *Norimbergam*. Cap. VII. recensens augustiores hujus civitatis sacras aedes, *Altera*, inquit, *sancti Sebaldi corpore, et sepultura sua celebris est. Is cum paulo post Caroli Magni tempora, ut Britanni, Galli, et Hiberni Christianam religionem in Germaniam induxerunt, cum aliis influens, primus ejus collis, et nemoris incolas ad religionem christianam vita, et morum sanctitate invitavit; ejectis veteribus diis, quos primorum hominum simplicitas suorum agrorum, et locorum praesidis, et tutores putabat.*

Censent Hagiographi *Antverpienses* ad diem XIX. mensis Augusti, *Celtem*, cum elaboraret illud carmen, non inelegans, de gestis et miraculis sancti *Sebaldi*, habuisse prae oculis documenta eadem, quae ipsimet ex codice msc. apographo suis actis inseruerunt. Testatur *Celtis*, eam in rem monumentis litterariis adjutum se fuisse a *Sebaldo Clamoso*; suaque se hausisse ex codice fide digno: ita enim alloquitur sanctum *Sebaldum*:

Approbas multis tua verba signis,
Scripta quae libro reperi fideli.

Quaenam sit Sapphici istius carminis *editio prima,* quando, aut ubi prodierit, a nemine aut biographorum aut bibliographorum adnotatum comperi. Suspicio est, editionem primam interiisse. Procusam typis fuisse an. 1495, colligo ex *Celtis* epistola, dicto anno exarata ad *Sebaldum Clamosum;* in qua inter alia haec occurrunt: *Mitto tibi, mi Clamose, hic insertam sancti Sebaldi vitam impressam. Plures chartas cum pergamenis accepisses, cum forma imagines: nisi nos fatum, aut negligentia mea perdere cum Norimberga, et aliis rebus voluisset.* Erat itaque sancti *Sebaldi vita* anno 1495, typis edita, aut, ut *Celtis* habet: *impressa.* Erant plura id genus exemplaria, typis excusa in membranis (*pergamenis*) quae *Celtis* destinaverat *Seb. Clamoso;* una cum sancti *Sebaldi* imagine, rebusque litterariis aliis, quas cum libello de *Norimberga,* fortuito casu, perdidit. Non *Norimbergae,* quo biographicam illum hymnum mittere constituerat; sed veresimilius *Augustae Vindelicorum,* cui civitati *Celtis* erat vicinior, cum *Ingolstadii* moraretur, vitam istam e prelo prodiisse, opinamur.

Manifestius est, anno 1496 eundem hymnum fuisse recusum *Norimbergae,* et adjunctum *Meffrethi* sermonibus de Sanctis fuisse, hac inscriptione praefixa: *Deo O. M. et Divo Sebaldo, patrono, pro felicitate urbis Noricae, per Conradum Celtem, et Sebaldum Clamosum, ejus sacrae aedis curatorem, pie, devote, et religiose positum.* Quid sit de vetere illa editione, cujus meminit *Arnoldus Bostius,* Carmelitanus, Belga, quam se dicit, conspexisse in *Legenda aurea,* publicata *Norimbergae,* fateor, me ignorare. Ita vero scribebat an. 1497 ad *Celtem: Vidi nuper carmen, utique elegans, tuum de sancti Sebaldi vita, impressum Nurenbergae Legendae aureae.* Opus homileticum *Meffrethi* nomine *Legendae aureae* venire, haud arbitror; si quidem inscribatur: *Hortulus Reginae.*

Anno 1502 *tertiam* curavit editionem *Celtis* ipse, *Norimbergae* luci expositam, illatamque libris Amorum.

Anno 1509 comparuit denuo hymnus idem *Norimbergae,* insertus syntagmati, quod titulum praefert: „In hoc libello continentur haec: Carmen „ad Lectorem: Epistola de prisca, ac nova fide. Carmen exhortatorium ad „sacra sancti *Sebaldi.* Auctor, et structura carminis Sapphici etc. Carmen

„Sapphicum ad divum *Sebaldum.* Harmonia carminis Sapphici. Carmen „exsecratorium ad Zoilum. Epistola de virtute, et laude. Decastichon „ad libellum.“ *Celtis* odae in laudem sancti *Sebaldi* subjectae sunt modorum musicorum notulae, ad quas exigendus sit cantus quatuor vocum. In fine farraginis hujus legitur: *Impressum Nurembergae per Hieronymum Hoelzel. Anno salutis millesimo quingentesimo nono, XXVIII. mensis Julii.* 4.

Anno 1511 eadem opusculorum sylloge prodiit *Argentorati,* opera *Joannis Kommingii, Baruthani;* qui quidem, ut ex epistola ejus nuncupatoria intelligimus, carmen *Celtis* de sancto *Sebaldo* in nonnullis corrigere studuit, proponendum pueris in ludo litterario, ut ingeniorum haberent exercitationem aliquam. „Nec enim, inquit, *Celtis,* nostro seculo vates celeberrimus, praetereundus est: qui inter alia pleraque egregia opera, *vitam sancti Sebaldi,* in solitudine exactam, jam pridem Sapphico carmine est complexus; ac regiae urbi *Noricae,* quae sanctum *Sebaldum* colit patronum, tanquam munus pretiosissimum, legavit, ac dicavit. Ubi non minus elegans, ac suavis in verborum est pondere; quam gratus, ac decens in brevitate. Hanc nuper revisam, ac emendatam instituendis pueris dedi.“ In fine; *Argentorati in aedibus Schurerianis. Anno M. D. XI. Conrado Duntzenheimio II. Dictatore Argentinen. Regnante Caesare Maximiliano P. T. Aug.* 4.

Anno 1513 relatus est idem hymnus, nonnihil comptior, ornatiorque in syllogen Odarum *Celticarum,* quae dicto anno lucem *Argentinae* aspexit: apparatque Lib. III. Od. X., praefixa mendosa hac inscriptione: *In vitam divi Sebaldi Nornbergensium patrem.*

Anno 1610 attexuit hoc *Celtis* sacrum carmen *Goldastus* operibus historicis *Bilibaldi Pirckheimeri* p. 139. Francofordiae. fol.

Anno 1697 idem typis repetitis protulit *Jo. Chr. Wagenseilius;* inseruitque Commentario suo de civitate *Norimbergensi. Altdorfii* Noricorum. p.55. 4.

An. 1737. Odam hanc biographicam Hagiographi *Antverpienses* retulerunt in Acta Sanctorum Tom. III. mensis Augusti, ad diem XIX.; non sine animadversione polemici argumenti de veneratione, et invocatione Sanctorum.

An. 1749 notus *Weislingerus* suo *Armamentario* pariter intulit hoc carmen *Celticum*, p. 652.

Editioni primae adjunxerat *Celtis* sancti *Sebaldi* imaginem; velut constat ex ejus epistola an. 1495 ad *Sebaldum Clamosum*, quam in *Appendice* referemus. Puto, eam effigiem haud absimilem fuisse illi, quam idem *Celtis* addidit editioni secundae an. 1502. in libris Amorum; qua repraesentatur divus *Sebaldus* habitu eremicolae, qui manu dextera sustentat ecclesiam, cui supereminent geminae turres: sinistra baculo fulcitur, more *Diogenis*. Videtur simillima ea imago *Druidibus*, quos superiore paragrapho ex *Celte* descripsimus; hoc solum discrimine; quod illi nudipedes, sanctus autem *Sebaldus* calceatus appareat.

CAPUT IX.

AD CHARITATEM DE FAMILIA PIRCKHEIMERORUM SANCTIMONIALEM ORDINIS SANCTAE CLARAE NORMBERGAE PROFESSAM CONRADI CELTIS CARMEN.

Tenue equidem est, et exile monumentum hoc litterarium; molem si spectes: at negligendum minime, neque indignum mentione speciali, qua illud dignati sunt *Scheurlius*, *Goldastus*, *Freytagius*, *Schierius*. Bene profecto de *Celte* nostro, et *Charitate Pirckhamera* meritus est *Christophorus Scheurlius*, qui poemation non incultum, qua adducimur in notitiam novae cujusdam *Roswithae*, ab interitu vindicaverit. Neque enim ullibi occurrit apud *Celtem*; neque scio, quo fato contigerit, ut in collectione odarum *Celticarum* hymnus iste sit praetermissus. Quare lectoribus nostris haud injucundum fore arbitramur, neque alienum ab instituto nostro: si brevem lucubratiunculam integram huc transferamus, *Charitati Pirckheimerae*, nobili aeque ac doctae vestali virgini dicatam a *Celte*:

Virgo, Romana bene docta lingua,
Virginum clarum instar, et corona,
Hoc meum parvum, rogo, fronte laeta
Suscipe donum.

Quo tuae laudes patriae videbis,
Et leges, quanto niteat decore,
Qualis et sancti fuerit beata
vita *Sebaldi*.

O soror, nostris merito Camenis
Digna, et aeterno mihi vincta amore,
Charitas lingua mihi dans Latina
Candida verba.

Teutonis rarum decus es sub oris,
Virgo Romanis similis puellis,
Quas vel *Hispanis* tenuit, vel olim
Gallia claustris.

Docta tu doctum sequeris parentem,
Qui fuit legum, canonum et peritus;
Praesulum charus, Ducibusque nostris
Saepe patronus.

Docta tu Fratrem *Bilibaldum* in urbe
Norica doctum sequeris pudica,
Graece qui claro ingenioque miscet
Scripta Latinis.

Nuper in diros cecidi latrones,
Aurum, et argentum mihi qui auferebant,
Et dabant nostro truculenta saevi
Verbera tergo.

Dulce solamen mihi epistola mox
Virgo reddebas variis medelis,
Quae mihi tristes pepulere, et acres
Mente dolores.

Hinc tibi grates meritas rependo,
Virgo Germanae decus omne terrae,
Charitas nostro recolenda semper
Pectore Virgo!

Tuis sanctis, et sororum tuarum orationibus me commendo.

Erat hoc carmen compositum a *Celte* anno 1502, obibatque vices epistolae, quae comitaretur munusculum litterarium (descriptionem videlicet *Norimbergae*, et sancti *Sebaldi* biographiam) dono datum *Charitati Pirckheimerae*. Laudat illustrem Virginem a claritate generis, et doctrinae praestantia, quippe quae sit nata parente patricii ordinis, erudito, perito jurium, principumque plurium consiliario; fratremque habeat *Bilibaldum*, legum et juris consultissimum, Graece, Latineque in primis doctum; quo praeceptore *Charitas* feliciter didicit Romanas litteras; ut loqueretur, scriberetque Latine.

Id vero moleste, graviterque tulit *Bilibaldus* frater, quod sorori, suae in Latinis litteris discipulae, postquam ad abbatissae munus vocata est, interdixerint *Franciscani*, qui parthenonis illius sacra curabant, linguae Latinae usum. *Charitatem*, scribit *Bilibaldus* ad *Celtem* an. 1504, *sororem meam obbatissam creatam scias.* ξυλοποδες *vero ipsi inhibuisse, ne posthac Latine scriberet: vide temeritatem, ne dicam, nequitiam hominum.*

Etsi vero a Latine scribendo prohibita fuerit docta abbatissa: a lectione tamen operum Latinorum, praecipue ab *Erasmo* editorum se non abstinuit; quemadmodum elucet ex epistola *Bilibaldi* an. 1516 ad *Erasmum*: *Salutant te*, inquit, *geminae meae sorores, abbatissa sanctae Clarae una: altera ejusdem regulae, in eodem monasterio, Clara appellata: quae assidue tua scripta manibus*

retinent: maxime vero jam novo delectantur testamento, quod isto anno a te est editum: quo mire afficiuntur mulieres, multis viris, qui sibi scioli videntur, doctiores.

Neque sibi in totum temperavit *Charitas* a Latine scribendo. Dedit sane anno 1522 epistolam ad *Hieronymum Emserum*, quae partim vernaculo partim Latino sermone est contexta. Querelas continet adversus novam *Lutheri* doctrinam, *Norimbergae* tum invalescentem. Hortatur, ut *Lutheranismo* fortiter se opponat, et vindicet religionis veteris, et avitae fidei veritatem. Vix dici potest, quantam propterea invidiam, ac offensionem incurrerit apud *Norimbergenses;* postquam incaute, imprudenterque abbatissae epistolam in vulgus publicaverat *Emserus*. *Utinam*, scribebat *Bilibaldus* ad *Emserum*, incendium hoc *extinguere datur! Si solum Senatus taxatus non fuisset: res facile sedari potuisset. Sed ita fata tulere.* Eadem epistola *Bilibaldus* indicat, scriptiunculam, quam ad se excusandum in publicum miserat *Emserus*, sibi nullatenus satisfecisse. Tantum abest, ut labem imprudentis, improvidi, et loquacis hominis a se absterserit.

Malum auxit, animosque vehementius exacerbavit anonymus, qui *Charitatis* ad *Emserum* epistolam, satyricis annotationibus conspersam undique typis vulgavit hoc titulo: Ein Missive, oder Sendbrieff, so die Ebtissin von Nürmberg an den hochberümbten Bock Empser geschrieben hat: fast künstlich, und geistlich: auch gut nünnisch getichtet. M. D. XXIII. Wittenberg. 4. Alia mihi prae manibus est editio absque mentione loci. Annus autem hunc in modum est adnotatus: D. M. XXIII. Char. Goth. 4 fol. 4. Epistola *Charitatis* ita desinit: Valeat veneranda dominatio vestra, in gratia Dei, perenni prosperitate. Ex Nurnberga sexta Junii Anno M. D. XXIII.

V. R. D.

Humilis filia, soror Charitas, P. Abbatissa inutilis sororum sanctae Clarae Nurnbergae.

Quicunque his de rebus plenius cupit edoceri; legat *Jo. Barth. Riederer* Nachrichten zur Kirchen- und Gelehrten-Geschichte I. B. p. 191. seqq.

7*

E diverticulo ad carmen *Celtis*. Dubio caret, asservatum illud, traditumque typis fuisse a *Christophoro Scheurlio*, *Norimbergensi*, patritii ordinis, qui studiorum causa annos plures versabatur apud Italos. Anno 1506, cum esset *Bononiensis* studii *Syndicus*, constituit opus quoddam litterarium *Charitati*, cui erat amicitia, et sanguinis propinquitate conjunctus, in suae erga eam observantiae, gratique animi testificationem, nuncupare. En eam in rem verba *Scheurlii:* „Coepi ego jam dudum cogitare, quidnam ad te scriberem, religione tua, et me dignum, quo amicitiae tuae, magis atque magis insinuarer, et tibi, quod de me ingenue sentis, et magnifice loqueris, gratiam referrem. Occurrerunt mihi quaedam epistolae, non ad *Ciceronis*, sed ad *Christi* Optimi, Maximi vitam pertinentes. Collegi apud ecclesiasticos doctores maxima quaedam commoda, quae ex auditione *Missae*, et oratione pro defunctis assequimur: quae omnia in unum libellum redegi: qui ut in justam magnitudinem excresceret, subnexa sunt nonnulla alia, ab instituto nostro non aliena: quae ut brevi lectione digneris, et boni consulas, te etiam atque etiam rogo, obsecroque. Vale. *Bononiae* Calendis Septembris, anno salutis sexto supra millesimum quingentesimum."

Sylloge opusculorum, quam *Charitati* dicavit *Scheurlius*, hanc praefert syngraphen: Epistola *D. Scheurli* ad *Charitatem Pirckheimeram.* Carmen *Conradi Celtis* ad eandem. Epistola *Pilati* ad *Tiberium* Caesarem. Epistola *Abgari* ad *Jesum* Salvatorem. Epistola responsoria ad *Abgarum.* Utilitates *Missae.* Exemplum *Aeneae Sylvii* de vendente *Missam.* Utilitates orationis *pro defunctis.* Exemplum pulchrum, quod contigit *Bononiae.* Sequentia: *Dies irae.* Carmen ad divum *Christophorum.* Absque indicio l. et a. fol. 8. in 4.

Ac in ista quidem opusculorum collectione, adornata a *Scheurlio,* primam *Celtici* hujus carminis editionem comparuisse judicamus, excusam typis, *Bononiae* anno 1506. Neque enim arbitrandum est, missa dono fuisse ea opuscula, calamo exorata. Quid enim necesse fuisset, adnectere Odae Celticae exemplar apographum: cum *Charitas* dudum, et inde ab annis decem habuisset *Celtis* autographum? Quodsi vera forent, quae *Willius* in Lex.

erud. *Norimb.* refert, facilius esset, intelligere, typis editam *Bononiensibus* Farraginem illam fuisse. Habuisset enim *Bononiae* *Scheurlius*, paratam suis usibus, *Joannis Monteferrati*, praecipui sui in doctrina legum praeceptoris typographiam domesticam. Sed palam est, a *Willio* verba *Scheurlii* hau rite intellecta esse. In eo tamen esse censetur vero proprior, quod epistolam *Scheurli* ad *Charitatem*, quae dictae opusculorum farragini praefixa est, adjungat scriptis *Bononiae* typo editis; quanquam de farragine ipsa sileat.

Editio *altera* syntagmatis *Scheurliani*, una cum *Celtis* hac oda Sapphica, vidit lucem anno 1513 *Norimbergae*. *Joannes Weissenburgius*, *sacerdos*, imprimebat. 4.

An. 1515 rursus prodiit *Norimbergae* eadem dictorum libellorum collectio. *Imprimebat Federicus Peypus Norimbergensis, librarius juratus.* 4.

Illam vero *Norimbergensem* editionem anni 1512, cujus meminerunt *Hirschius* in Millenario: et *Panzerus* in Annalibus typographicis, commentitiam esse existimamus; neque comprobatam idoneo quodam testimonio.

Tandem iteratis typis hoc *Celtis* ad *Charitatem* poemation excudendum curarunt *Goldastus*, et *Freytagius*, intuleruntque, ille in Opera historica *Bilibaldi Pirckheimeri* Francof. 1610; iste autem in Analecta sua litteraria Lips. 1750. Apparet quoque idem carmen in collectione poet. Germ. *Francof.*

CAPUT X.

LUC. APULEII, PLATONICI ET ARISTOTELICI PHILOSOPHI, EPITOMA DIVINUM DE MUNDO: SEU COSMOGRAPHIA, DUCTU CONRADI CELTIS,

IMPRESSUM VIENNAE. CHAR. GOTH. FOL.

Apuleium, a *Celte* editum, perrarum esse, ac *Gundlingio, Fabricio, Niceronio, Maittairio* incognitum, tradit *Jo. Geor. Schelhornius* p. 808. Amoenit. historiae eccles. et litter. Post *Schelhornium* hujus operis fecit mentionem *Xystus Schierius* p. 16. comment. de primis *Vindobonae* typographis. Eodem de opere differens *Michael Denisius* p. 8. Wiens Buchdr. Gesch. plura addit, quae faciunt ad illustrandam historiam litterariam. Nos praeeuntibus hisce ducibus, siquidem videre *Apuleium Celtis* datum haud fuerit, candide impertiemur, quae hac de editione didicimus.

CONTENTA:

1) *Episodia* sodalitatis litterariae *Danubianae* ad *Conradum Celtem*, dum e *Norico* gymnasio ad *Viennam Pannoniae* concesserat.

2) *Epistola* nuncupatoria *Celtis* ad *Joannem Fusemannum*, regium senatorem, et *Joannem Graccum Pierium*, Protonotarium, sodalitatis litterariae Danubianae principes.

3) *Apulei* epitoma de mundo; seu Cosmographia.

4) Operis *clausula*.

I. *Episodia* sodalium litterariorum, praemissa operi, quandoquidem raro obvia sint, lectu non indigna, integra dabimus, mutuata ex T. I.

Abhandl. der chur-bair. Acad. der Wissensch.; illuc illata ex codice *Hartmanni Schedelii*, medici Norimbergensis, studio *Lipperti*, qui opinatus est, esse inedita. De auctoribus carminum, quoniam pro nostri instituti ratione jam abunde egimus primo capite, quidquam addere nunc supersedemus.

Joannes Graccus Pierius, Romanorum Regis secretarius.

Celtis adest: *Celtis* Clarii nota prima triumphi,
Gentis Germanae gloria, *Celtis* adest.
Sed non solus adest: sacrae pia turba sorores,
Pars idem remo, pars pede carpit iter.
Laeta dies, albo nunquam caritura lapillo:
Accipe candentis lactea signa notae.
Spumet odorato cristallus aquosa falerno,
Uraturque sacris laurea virga focis.
In primis merito Phoebo reddantur honores:
Thyrsigero fiant proxima sacra Deo.
Haec quoque Pieria passim vox personet aula:
Musarum *Celtis*, spesque decusque venit.

Augustinus Olomucensis, Regis Pannoniae secretarius.

Celtis Pegaseas sacro ex Helicone Camenas
Vexit ad *Austriaci* rura beata soli.
Salve igitur Phoebi criniti sancte sacerdos,
Celtis Germanae gloria magna togae
Et vos laurigerae, cultissima turba sorores,
Tu quoque inaurata pulcher Apollo lyra.
Quae vobis genitus *Morava* gente poeta
Carmina dat tenue sint licet orsa modo:
Perpetui, quaeso, sint vobis pignus amoris:
Haec sint parva licet, mens pia magna facit.

Julius Milius, regius Pannoniae archiater.

Cum tot carminibus, cum tot celebrare poetis:
Non opus est versu, *Celti* diserte, meo.
Nunquam Castalios hausi de fonte liquores:
Ubera prima licet Melpomene dederat,
Quod cernens Phoebus medicas me vertit ad artes
Et rerum causas noscere posse dedit.
Et dixit: dulces sequeris cur *Jule* Camenas?
Altera debetur laurea nempe tibi.
Cura erit ista tibi, reges servare potentes,
Atque illis medicas exhibuisse manus.
Parce igitur, quaeso, nobis, doctissime *Celti*:
Si Phoebus negat hoc, quod meus ardor habet.
Nunc *Augustinus* vates clarissimus ille
Describet laudes, *Celti* diserte, tuas.
Scilicet, ut Musas ad ripas duxeris *Istri*,
Et sis Germani gloria prima soli.
Austria quod doctos per te dat clara poetas,
Ut similes *Latio* vix rear esse meo.

Joannes Cuspinianus, poeta laureatus.

Dira lues quondam Romanam infecerat urbem:
Dum turpi tabo corpora multa cadunt.
Inde Coronides faciem mutatus, et ora
Obtulit optatam Tybride vectus opem.
Sic fera barbaries, qua non praesentior ulla,
Pestis habet Rheni, Danubiique plagas,
Occidet, et penitus Germanis cedet ab oris:
Dum *Celtem* placidis advehit Ister aquis.
Ergo cauendus eris, *Celtes*, dum sydera fulgent:
Quo duce, barbaries, pestis acerba, ruit.

Andreas Stiborius, theologus et mathematicus.

Bis quinis fueras annis, peregrinus in orbe,
Fatum Dulichii, *Celti* secute ducis.
Scilicet ut varias, et honestas prenderet artes
Pectus, Phoebaea quod tibi luce micat.
Sed faciles remos cuperes cum sistere tandem:
Te vocat ad nitidam clara *Vienna* scholam.
Qua nunc ingenuas docto cum pectore Musas
Concinis, et quidquid philosophia docet.

Joannes Stadius, philosophus et mathematicus.

Nota tibi quondam regio, qua Carpathus albet,
Quaque vago Rhenus amne tricornis abit.
Jam tibi sistit iter pigras qui versat arenas
Ister, ut in placida, *Celti*, moreris humo,
Et doceas, quidquid numerosa volumina vatum
Contineant, et quid philosophia docet.

Christophorus de Waitmyl, Praepositus Pragensis.

Quid petis exiguos arentis fluminis haustus
Celtes, Pindarici fama secunda chori?
Quis mel *Aristaeo*, quis *Baccho* molle Calenum,
Quis *Cereri* donet spicea serta deae?
Fertile pectus habes, dulcique Helicone refertum:
Scribis et Orphea carmina digna lyra.
Ast ego laurigerae modo sum novus accola rupis,
Et meus in primo pulvere sudat equus.
Plectra tamen repetenda negat quis carmine *Celti*?
Si pudor hoc prohibet, scribere cogit amor.

Nec tamen ipse tuae praeconia debita laudis
Cantabo; aut tanti moliar oris opus.
Laudis egent, quae sunt mediocria: livor iniquus
Commendat versus, *Celti* diserte, tuos.

Sturlinius Schmalcaldia, paedagogus. *)

Aeneas patrios, Trojá flagrante, penates
Transtulit in regnum, juste Latine, tuum.
Vexit et Idaeam Tyberina per ora Cybelem
Claudia vestalis digna ministra foci,
Ista licet jactent veteres: majora videmus
Inferri terris Numina Pannonicis.
Celtis Apollineum per inhospita littora numen
Remigio vexit Calliopoea tuo.
Ecce novem migrant patria de sede sorores,
Atque petunt terras numina grata novas.
Austria se quanto felix jactabit honore!
Nascitur en Cecio gloria quanta jugo!
Nunc laetare Ceci sacras habitare cohortes:
Profers Pierio grata futura Deo.
Ut quondam Bacchus, sic te nunc ornat Apollo,
Inque tuis habitat numen utrumque jugis.

Hieronymus Balbus, Utriusque juris Doctor.

Lux Clarii splendorque chori, quem doctus alit grex;
Grex Dryadum te doctus alit: tu Castalius dux:
Dux Helicone rigas Istrum: jam bella fugit Thrax:
Thrax vates, Dacusque colit: nec Sarmata jam trux,

*) Vitio typothetae hujus episodii inscriptionem corruptam esse suspicantur *Schierius* et *Proschaska*. Putat uterque designari *Joannem Sturnium*, Schmalcaldensem; de quo supra.

Trux rigor omnis abis: nunc passim blanda micat pax,
Pax Musis advecta tuis; te digna manet merx,
Merx decus aeternum, tibi erit, dum fulva micat fax:
Fax Phoebi terris radians; dumque atra necis falx,
Falx metet orbis opes, mundi tu semper eris lux.

Bartholomaeus Scipio, medicinae Doctor.

Attica Romuleae Pallas conjuncta Minervae,
Te duce Hyperboreos gaudet adire lares;
Danubiasque colit contemto Heliconide ripas,
Ister habet docti, quidquid in orbe fuit.

Joannes Schlechta, Regis Pannoniae secretarius.

Pannoniae Regis dum nuper viseret aulam
Celtis, et a trijugis vectus equabus erat;
Omnia tum secum sinuosum vexit ad Istrum,
Quae Graji et Latii concinuere viri.

Georgius Neudecker, Regis Pannoniae secretarius.

Nuper ubi mecum trijugis raperetur equabus
Celtis, et Hungaricas vellet adire plagas;
Vota dabam superis, illum ne morbifer aer
Laederet, aut raperet febris acuta virum.

Erasmus Pinifer, Cracoviensis.

Floruit eloquio quondam gens Graia; sed olim
Omne decus Danâum Martia Roma tulit;
Quid non tempus edax variat? cum *Celtis* ad Istrum
Transtulit, Ausonio quidquid in orbe fuit.

Joannes Tolophus, J. U. Doctor et mathematicus.

Astrorum cursus, et quidquid continet orbis,
Affers Danubio, *Celti* diserte, vago.

Theodoricus Vesenius, archiater.

Celte tua silicem caelas, *Conrade*, rebellem:
Est mea dura silex: nil tua celtes agit.
Omnia cum certo videas nascentia: vince
Tempore duritiem, tempore mollitiem.

Henricus Cuspidius.

Rhenanis praeceptor eras mihi *Celtis* in oris,
De rerum causis dulcia verba sciens.
Sed doleo, Rheni quod dulcia liqueris arva,
Rhenanique simul jura sodalitii.

Duo Bonomi, Regis et Reginae Romanorum secretarii.

Nuper apud Rhenum scripsisti, *Celti*, sodales,
Vangionum praesul quis sua jura dedit.
Sed nunc Danubii cum sint tibi, *Celti*, sodales:
Jura sodalitii quis dabit ergo chori?

Hisce *episodiis* adjungitur *epigramma*, ex quo palam fit, quis sodalitatis litter. Danub. princeps tum recens electus fuerit. Praefert inscriptionem istiusmodi: *Sodalitium Danubianum Episcopum Vesprimiensem principem sodalitatis elegit:*

Danubiana cohors Phoebaeis digna triumphis,
Quam decorat Clariis *Celtica* Musa sonis,
Principe te gaudet, concordique eligit ore
Patronum, et nutu statque, caditque tuo.

Episcopus is *Vesprimiensis*, qui simul erat administrator episcopatus *Viennensis*, tum fuit *Joannes Vitez*, natus in Hungaria e nobili genere *Viteziorum*. Varia ejus fata, quibus est jactatus copiose enarrat *Schierius*. Propius huc spectat, fuisse eum eruditione multiplici ornatum, mirificeque cultum ab hominibus doctis, qui labores suos litterarios ejus nomini inscripserunt, velut *Hier. Balbus* plura carmina, *Aldus Athenaeum*, in cujus dedicatoria epistola inter alia meminit, didicisse eum Graecas litteras in Italia a *Musuro* Cretensi; easdemque invexisse in patriam. Obiit circa annum 1499; ut *Schierius* opinatur in Comment. msc. de sodal. litt. Danub.

II. Locum alterum hoc in opere obtinet *Celtis* epistola hac ratione inscripta: *Conradus Celtis Protusius, triformis philosophiae doctor, Imperatoriisque manibus poeta laureatus, Jo. Fusemanno, Regio senatori, et Jo. Gracco Pierio, Protonotario, sodalitatis litter. Danub. principibus S.P.D.* Asserit initio, vocatum se esse *Viennam* a gymnasio *Norico* i. e. *Ingolstadiensi*; non *Norimbergensi*: ut perperam interpretantur *Denisius* et *Waldau*. Ait, lubenter se paruisse vocationi ad urbem, scholamque celeberrimam, ut, quae multis, longisque peregrinationibus, more *Platonis* et *Pythagorae* didicisset, impertiri Germanicae inventuti posset, jactatamque diu navim in securum portum adducere. Postea laudat suum *Apuleium*, affirmatque, se ab illius interpretatione ductum esse praelectionum initium; asseverans rhetoris, oratoris, poetae aut philosophi nomine indignum esse, qui ea, quae *Apuleius* hoc in libro *de mundo* tradit, percepta non habuerit. Demum in laudes effunditur *Fusemanni* et *Gracci Pierii*; finitque hunc in modum: *Valete Viennae, Kalendis Novembribus, orbe nostro Christiano 1497. Iterum valete, reliquos Apuleii libros de Platonica majestate et sublimitate, nostramque de Phoebo et Marte mythologiam lecturi: si iste noster a vobis labor probatus, et hilari fronte gratus et acceptus fuerit.* Epistolam integram reddit *Schelhornius* l. c.; nosque in *Appendice* integram pariter exhibebimus.

De *Joanne Fusemanno*, cui *Celtis Apuleium* dicavit, nonnulla adjungimus. In actis academiae *Friburgensis* legitur: *Joannes Fuchsmagen, de Hallis dioece-*

sis Brixinensis (postea Fusemannus, *Fuxmannus*) *an. 1469, die 25. Oct.* albo academico inscriptus: artium *magister* renuntiatus, et Canonum *Licentiatus*, professorio munere aliquamdiu apud nos est perfunctus. Postea *Friderico III.* et *Maximiliano I.* a consiliis, et legationibus. Coluit, fovitque viros doctrina claros, praecipueque *Balbum* et *Celtem*; quorum carminibus in grati, memorisque animi testificationem saepe est celebratus. Asservat bibliotheca academiae Oenipontanae codicem msc Sec. XV. aut XVI., in quo continentur plura poetarum carmina ad *Fuxmannum*. Quae *Celtis* sunt, vir humanissimus, illius bibliothecae praefectus *D. Wikosch*, descripta manu sua ad me perferenda curavit. Neque erat asymbolus ipse *Fusemannus*.

1) Suppetit in bibliotheca Augusta Vindobona codex msc., qui *catalogum* refert, sive *seriem* Imperatorum, *Caesarum*, *Tyrannorum*, qui imperium invadere ausi sunt; exaratum jussu *Maximiliani* Imp.

2) *Epistolae: una* ejusdem exstat in collectione epistolarum virorum clarorum ad *Jo. Reuchlin. Duae* occurrunt in cod. msc. epistolarum ad *Celtem*.

Veteres nummos, maxime Romanos, quos collegerat, Imperatori *Maximiliano* dono dedit. Obiit an. 1510 tumulatus apud *San-Dorothaeanos*. *Schierius* de *Fuxmagio* alia in suo Comment. msc. de sodal. litter. Danub., quae praetermittimus; quod sint aliena a nostro instituto.

III. Succedit opus ipsum, sive liber *Apuleii de mundo;* quemadmodum inscribitur in *Rom. Aldi Basil.* editione. Interpretatio, ut habet editio ad usum Delphini, est libri *Aristotelis* περὶ κόσμου, paulo tamen liberior: in hac enim non singula verba *Aristotelis* minutatim consectatus est; sed periphrastice interdum sententiam expressit. Quaedam adjecit ex *Theophrasto;* quaedam etiam de suo. *Bonaventura Vulcanius* affirmat in hoc libello *Apuleium* ita proprie, et eleganter omnes Graecanici sermonis delicias ac Veneres expressisse; atque integre optimi interpretis partes explevisse, ut hic liber studiosis utriusque linguae, veluti canon quidam atque exemplar, ad imi-

tandum proponi debeat. Quo quidem testimonio confirmari intelligimus, quae de praestantia, ac utilitate ejusce operis, in epistola dedicatoria scripsit *Celtis*. Spatia hic ibi vacua indicio sunt, non fuisse in promptu *Viennensi* typographo characteres Graecos, quibus lacunae illae explerentur.

IV. Ad Operis calcem haec leguntur: *Impressum per Joannem de Hiberna arce* (Winterburg) *haud procul ripis Rhenanis, et urbe inventrice, et parente impressoriae artis Moguntiaco feliciter.*

Antequam *Viennensis* haec editio prodiret, anno 1494 *Memmingae* apud *Albertum Kune*, Duderstadiensem, studio *Celtis*, adornatam fuisse aliam, ut refert *Hambergerus* p. 348. T. I., nixus auctoritate catalogi *Bunavianae* bibliothecae, merito in dubium revocatur.

CAPUT XI.

CORNELII TACITI DE ORIGINE ET SITU GERMANORUM LIBER INCIPIT.

S. L. ET A. (1500) CHAR. GOTH. MAJ. 14 FOL. 4.

Opusculi hujus haec editio a nemine, quod sciam, bibliographorum indicata hactenus, neque a quoquam attributa est *Celti*. Non praefert indicium anni, loci, aut typographi, characteribus excusa Gothicis pinguioribus, absque omni fere ornatu typographico. Caret numeris paginarum, custodibus, et majusculis litteris initialibus, excepta una, nimirum littera G, in vocabulo: *Germania;* unde libelli initium ducitur. Praeterea plagulae in margine inferiori signatae sunt litteris a ajj. et sic deinceps. Charta solida est; nec satis laevis, neque candida. A *Celte* adornatam esse hanc *Taciti* editionem, colligimus ex eo, tum quod nonnulla *Celtis* scripta eidem adjuncta sint; tum quod ipse *Celtis* hanc *Taciti* editionem amicis litterariis dono miserit, *Philomuso* videlicet *a)* et *Th. Rysicheo b)* qui *Ingolstadii* litteras professi sunt;

---

a) *Philomusus* quidem epistolam, qua *Celti* egit gratias hunc in modum orditur: „*Jacobus Locher Philomusus* docto ac illustri viro *Conrado Celti*, poetae et philo„sopho, meo praeceptori observando, Viennensis Gymnasii Doctori. S. P. Accepi „diebus quadragesimalibus, mi praeceptor, *Cornelii Taciti*, viri Cl. *de origine et* „*situ Germanorum* libellum, industria tua, ac diligenti emaculatione castigatum, et „distinctum: qui licet Romanum succum, *Plinianam*que majestatem aliquantisper „sapiat, et more veterum mores, et nationes depingat; non tamen satisfacere „mihi videtur Germanorum moribus, et clarissimo primordio: quod tu in Ger„mania tua copiosius, magnificentiusque facis.“ . . . . Datum *Ingolstadii* diebus paschalibus. Anno 1500.

b) Paucioribus actionem gratiarum absolvit *Rysicheus*. *Habeo*, inquit, *tibi mi Conrade*

*Celti*que egerunt gratias pro accepto munusculo. Quorum quidem epistolae cum ineunte anno 1500 exaratae sint, recte inferimus, libelli editionem procusam esse, vel ineunte dicto anno, vel anno 1499 ad finem vergente.

Plures equidem ejusdem libelli editiones huic nostrae aut aetate suppares sunt, aut etiam antiquiores, quas *Panzerus* refert: jucunde tamen fecit *Celtis* noster; dum venerabile hoc unicuique Theodisco antiquitatis monumentum, quo gentis nostrae historia percensetur, hominibus nostris obtulit, una cum chorographico suo carmine, quo versibus heroicis Germaniam generalem descripsit; cujus mentionem injiciunt et *Philomusus* et *Rysicheus* in suis ad *Celtem* epistolis. Eoque pluris aestimandum monumentum illud litterarium; quod unicum fere eam in rem ex omni retro antiquitate suppetat; quandoquidem *Libri XX* bellorum Germaniae, quos, teste *Plinio* juniore, ejus avunculus *Plinius* senior conscripserat, in deperditis numerentur.

CONTENTA:

1) *Cornelii Taciti* libellus de situ, et moribus Germanorum.

2) *Conradi Celtis* carmen topographicum, contextum versibus heroicis; quo describitur Germania Generalis.

3) *Ejusdem* de *Herciniae* sylvae magnitudine fragmenta ex libello de *Norimberga*.

I. Unde textum *Taciti* hauserit *Celtis*; utrum ex codice msc.; an ex libro typis vulgato: haud constat. Contulimus quidem codices duos, quos servat bibliotheca *Friburgensis* academiae, editos, antequam *Celtis* emitteret editionem suam: *Bonon.* scil. an. 1472, fol. et *Venet* 1499, fol. Deprehendimus autem lectionum varietatem magnam ita, ut ad illas haec *Celtica*

---

non triviales grates, quod me et tuo carmine, et Tacito donasti. Mitterem lubens munusculum aliud etc. Vale. Ex Chrysopoli XII. Kalendas Maii Anno Domini etc. 100.

9

exacta non esse censeatur; quippe discrepans in plurimis. *Philomusum* si audimus: duo potissimum *Tacito Celtis* praestitit. *Emendavit* videlicet textum; eundemque *distinxit* in capita. Emaculationem textus quod attinet; opinamur, magis ad mulcendas amici aures, quam ex vero id fuisse scriptum a *Philomuso.* Patet enim legenti, conferentique cum melioris notae codicibus, multa ubivis esse, quae offendant. Proferre exempla uti facile est, ita supervacaneum. Verum id tribuendum, indulgendumque aetati, et raritati aut penuriae emendatiorum exemplarium. Alterum, quod hac in editione laudat *Philomusus* est distinctio capitum, quam in editionem suam invexit *Celtis;* qualis in editionibus antiquis *Bonon. Venet.* non apparet; serie non interrupta, decurrente textu. Sed veremur, *Celtem* dici posse in secando textu plus aequo industrium; qui unico saepe versu, aut ut loqui solemus, linea, caput integrum complexus est.

II. Accedit *Taciti* Germaniae *Celtis* carmen heroicum similis argumenti, de Germaniae *situ*, *moribus*, *syderibus verticalibus*, *quatuor lateribus, tribus jugis, et montibus, fluminibus, de tractu Herciniae sylvae, et fertilitate telluris.* Atque haec est praeclari hujus poematis *prima* editio, iterata saepius. Illius initium est: *Per Demogorgoneum memorantur cuncta tumultum etc.*

Anno 1502 *Norimbergae*, adjunctum habetur idem *Celtis* topographicum carmen libris amorum; sed auctius praefatione ad *Maximilianum;* et duobus versiculis in fine §. IV.

Anno 1511 attextum legitur *farragini* opusculorum tredecim; in quibus primum locum obtinet *Berosus Babylonius;* absque mentione loci et anni. 4.

An. 1515. Nova editio in lucem prodiit *Viennae;* una cum *Cornelii Taciti* Germania; cui adnectitur. 4.

An. 1557 studio *Phil. Melanchthonis Wittenbergae* comparuit; comitaturque *Taciti* Germaniam; cum opusculis aliis, quae ad eam illustrandam faciunt. 8.

An. 1574. *Basileae* vidit lucem in Opere, quod inscribitur: *Opus Historicum in quatuor Tomos divisum.* Tom. I. p. 445. seqq.

An. 1610. *Argentorati* recusum; additumque *Beati Rhenani* libris tribus rerum Germanicarum.

An. 1673. Illatum est a *Schardio* Tomo I. scriptorum rerum Germanicarum. Giessae. Fol.

III. De magnitudine *Herciniae* sylvae fragmenta, quae succedunt, excerpta sunt ex *Celtis* libello, quo descripsit *Norimbergam*, tum necdum edito. Hausta autem sunt ex cap. II. et III. dicti opusculi. Deprehenditur his in fragmentis hic ibi lectionum varietas, quae differunt ab his, prout occurrunt libro, qui demum an. 1502 integer, emendatiorque apparuit; quanquam negandum non sit, non deesse in fragmentis, quae clarius rem exprimant; velut cum legitur nomen *Tolophi*; cui subrogatum est in libello ipso vocabulum θεόφιλος. Typographo *Viennensi*, (ab eo enim editionem excusam esse arbitramur,) non fuisse ad manum characteres Graecos, demonstrant loca vacua, quae Graecorum vocabulorum sedibus destinata erant; velut supra ad *Apuleium* adnotavimus.

Typographicae rei *Vindobonensis* scriptoribus *Schierio* et *Denisio*, comperta duntaxat erat opusculi hujus editio secunda *Viennensis*, quae ibidem prodiit anno 1515, 4. litteris Gothicis opera *Joannis Singrenii, calcographi,* complectens folia 22, hac praemissa inscriptione: *Cornelii Taciti, veridici historici, de situ Germaniae et incolarum, ut secla olim ferebant, moribus libellus lectu dignissimus. Conradi Celtis Protucii, Poetae, fragmenta quaedam de iisdem, scitu admodum utilia. Omnibus diligenter revisis et castigatis.* Est haec editio non emendatior solum: verum etiam accessionibus quibusdam auctior. Praevia opusculo praefatiuncula versatur in iis, quae vitam atque scripta *Taciti* attinent. In fine praefatiunculae succenset auctor *Tertulliano*, quod *Tacitum* appellasset *hominem nescio quo spiritu mendaciorum loquentissimum* adjuncto epiphonemate: *Ita instituente fato, nulli mortalium aestimatio apud omnes integra est.*

Quod spectat textum sive *Taciti*, sive *Celtis*; alia deprehendimus mutata in melius; alia ex priore editione retenta. Etsi vero editio haec *Viennensis* posterior sit ea, quae anno 1502 inserta est libris amorum (de carmine *Celtis* et fragmentis ex libello: *Norimberga*, loquimur) exacta tamen illa non est ad limatiorem illam *Norimbergensem*; sed expressa ad *Viennensem* primam; quemadmodum perspicuo elucet ex *Celtis* carmine: quod caret tum praefatione ad Imperatorem; tum duobus illis versiculis §. IV. de quibus supra.

Postremo folio adducitur locus *Plinii* senioris ex cap. XIV. Lib. IV.; in quo sermo est de Germania, ejusque populis, fluminibus etc. His subjunguntur auctorum veterum nomina, qui de rebus Germanicis quidquam habent; velut *Strabo*, *Solinus*, *Pomponius Mela*, et *Ptolemaeus*. Tandem in aversa facie folii postremi conspicitur *Leonardi Alanthe* bibliopolae Viennensis, qui editionis sumptus conferebat, insigne integram fere paginam implens.
